DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CHOLERA SPASMODICA INDIÆ ORIENTALIS,
QUALIS IN INSULA CEILANO GRASSABATUR;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS G. STEPHENSON, A. M.

" Felix qui potuit rerum cognoscere causas."

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVI.

VIRO CLARISSIMO

JACOBO McGRIGOR, M. D.

S. R. L. et E. S.

EQUITI,

MEDICORUM OMNIUM

QUI COPIARUM MILITARIUM BRITANNIÆ

AUSTRALIS VALETUDINE CONSULUNT

RECTORI,

REI MEDICÆ PERITISSIMO

VIRTUTIBUSQUE

QUÆ AD RITE BEATEQUE VIVENDUM OPERAM CONFERUNT,

PRÆDITO,

ETIAMQUE OB MULTA BENEFICIA IN SE COLLATA;

HANCCE DISPUTATIONEM,

ANIMO GRATISSIMO

SUMMAQUE OBSERVANTIA,

SACRAT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

CHOLERA SPASMODICA ORIENTALIS INDIÆ,

QUALIS IN INSULA CEILANO GRASSABATUR.

Auctore THOMA G. STEPHENSON, A. M.

QUUM unicuique summos medicinæ honores, in hac celeberrima Academia ambienti imperatum sit, inauguralem proferre disputationem; Choleram Spasmodicam selegi, de qua, hac occasione scriberem; quem morbum mihi contigit plus satis conspicere, sub omnibus ejus formis, dum per multos grassabatur menses, ex decem annis, quos in Insula Ceilano consumpsi.

Hujus morbi historiam breviter proponam, dein, ea quæ, secto cadavere, post mortem, in conspectum veniunt; atque curationem tradere conabor, tanta perspicuitate, quantum limites hujusmodi opusculi sinant.

HISTORIA.

Hic morbus longe lateque lethifer, qui regiones orientales versus meridiem sitas adhuc vastat; initium cepit, ut bene notum est, ad Sessore in Bengalia, mense Augusti anni 1817. Unde per Gangis ripas viam fecit in superas ejus præfecturæ provincias; mense Septembri sequenti ad Calcuttam pervenit, quum jam, brevi spatio, totam Bengaliæ regionem pervastasset: postea in peninsulam Indiæ sese extendit, ita ut, inter breve temporis spatium, totum eam regionem peregraverit, quæ inter Gangem, Nerbuddam, et Cormorini promontorium jacet; unde in septentrionalem insula Ceilani partem penetravit, in qua, pede cito, diras edidit strages.

Ex his jam dictis, de progressus ejus historia, primo statim aspectu, videretur, hunc morbum

genitum atque vulgatum esse quodam specifico contagio; et quidem fatendum est, res ita se habere, ut hujusmodi sententiæ faveatur: tota tamen historia morbi accuratius investigata patebit, nisi fallor, longe abesse, ut ea sententia verisimilis sit, quoniam multa quæ, progredienti morbo, observata sunt, legibus contraria sunt, quibus compertum est contagiosos morbos gubernari.

Principio manifestum erat, orto malo, in aliquo loco, plurimos homines, fere eodem temporis momento, occupari, qui ex diverso vitæ genere, atque consuetudine, separatisque domibus, nullo modo, alii aliis communicare morbum possent; dein æque patebat eos, qui ægros famulabantur, aut qui eadem domo, quin et in eodem cubiculo, habitabant, non magis ad morbum proclives esse, quam alios longe ab ægris remotos. Quod ad hanc rem quidem attinet, ipse affirmare possum, nihil hujusmodi a me observatum esse, dum valetudo cohortis 73tiæ mihi curæ erat ad Trincomale, ubi quam plurima hujus mali exempla mihi videre contigit; et profecto mihi magnopere persuadetur, malum non contagiosum esse, quia sæpissime vidi homines, in valetudinarium receptos, propter alios morbos, cholera occupatos et brevissimo spatio, ut so-

let, interemptos, et nihilominus malum non iterum in eo valitudinario sese ostenderet, etiamsi ubique circa stragem ederet : hæc valida sunt argumenta, et, nisi fallor, ad conclusionem quæ postulatur, stabiliendam valent.

SYMPTOMATA.

Symptomata, quibus Cholera Spasmodica distinguitur, postissimum in mutatis actionibus, primis viis, sensorio, atque circuitus sanguinis organis, ponuntur.

Symptomata comitantur et sæpe antecedunt, per plures horas, alvus fusa atque vomitus. Materia quæ, utroque modo, ejicitur, par est ; humor nempe colore lacteo diluto, in quo tenentur flocculi, quasi coagulati lactis, et tinctus simul plerumque colore cœruleo est. Hujus humoris plus fere a ventriculo evomitur quam ab intestinis dejicitur : tenesmus haud raro adest, et urinæ quantitas imminuitur ; quam in nonnullis exemplis prorsus suppressam vidi. Materia, quæ alvo dejicitur, non fœtet : ventriculi nisus ingentes sunt, et aspectus ægroti summam anxietatem de-

monstrat. Hæc symptomata, quantum ipse vidi, e primis sunt: in nonnullis lethalibus hæc symptomata ægros a somno excitarunt, et spasmata brevi ea exciperunt: in quibusdam exemplis lethalibus, homines pridie alvo laxa laborarunt, sine torminibus aut aliquo gravi incommodo. Pro maxime conspicuis morbi symptomatis habenda sunt, et perstant, donec vitæ vires magnopere opprimantur, ubi vomitus per intervalla redit, atque convulsivus est; tunc dejectiones vel terminantur, vel, citra hominis voluntatem fiunt: sitis atque ventriculi ardor brevi adveniunt; atque vix toleranda sunt, et præcipuam morbi partem constituunt. Ardor ad ventriculum tantus, ut ægro vix suadeatur aliquid, nisi aquam frigidam sumere, quam ad sitim extinguendam importunissime postulat.

Totus ægri aspectus est, adinstar hominis, lethali malo percussi; vultus colore plumbeo est, atque summum terrorem atque solicitudinem testatur. Oculus nulla expressione, vitreus, in orbita profundus subsedit, livido circa sese ostendenti circulo, qui adeo est manifestus, ut, eo solo, natura morbi protinus detegi possit. Caligo, tinnitus aurium, vox modo terrenti, cava, contractiones

musculorum voluntarii motus spasmodicæ, quæ, simul cum morbo incipuint, atque eundem comitantur, donec stupor accesserit, spasmata modo irregulari oriuntur atque flexores et extensores tentant.

Anxietas ingens est, et jactatio nulli similis, quæ in aliquo morbo incidit ; perpetuo enim miser corpus jactitat, neque voluntas aliquid imperii sui in corpus exercere potest. Delirium mussitans aliquando inter symptomata adest, sed raro accedit nisi ad ultima mali tempora.

Vires circuitus sanguinis subvertuntur ; quod symptoma, primis mali temporibus, ortum haud dubie, ex maxime conspicuis ejusdem notis est. Pulsus ad arteriam radialem vix percipi potest, et post horas duas tresve, neque cor, neque aliquæ arteriæ in corpore, pulsari deteguntur.

Corporis calor brevi post mali accessionem imminuitur, et quum jam morbus ad plenum se formavit, thermometrum non supra gradum 94um elevatur.

Cutis copioso sudore madet, qui corpore effluit, ita ut aspectum cadaveris diu sub aqua immersi ostendat.

Morbus præter horam vigesimam quartam, raro

permansit; sæpius spatio horarum sex, octo, duodecim vel sexdecim cursum confecit.

Hæ notæ sunt, quibus Cholera Spasmodica distinguitur,—malum quo nullum magis aspectu terret, nullum minus auxiliis medicinæ paret, nullum actionibus quas gignit, magis ad vitam extinguendam festinat.

CAUSÆ.

Quod ad fontem attinet, unde hic oriatur morbus, tota res procul dubio explicatu difficillima est, et prorsus in obscuro posita.

Nullo rem perscrutandi modo, comperire possumus, qualitates perpetuo mutabiles, viasque Proteo similes aëris quem spiramus, quo circumdati vivimus: neque minus est difficile, aut magis intra potestatem nostrum, ad cognitionem attingere mutationum mirarum, quæ nostris corporibus, continuo fiunt, neque sensibus eunt obviam: aliquam actionem chemicam vitæ humanæ inimicam fieri, vix in disceptationem venire potest, quod quidem totus corporis aspectus simul testatur: laborare videtur ægrotus ab actione solita subversa;

et, ut verisimile est, propter aliquam noxiam materiam retentam, quæ, sano corpore, eliminari solet: tota cutis sudore profuso viscido madet, et sanguis niger a prima mali accessione corpus circumire videtur; quasi pulmones non valerent id evolvere, cui chemici nomen dant sanguinis Carbonium.

Imminuta bilis secretio plane monstrat, organum quod hunc præbet humorem, jecur nempe, haud exiguam sustinere partem in turbando corpore, quum, intra horas octo vel decem, fere tot bilis unciæ secerni a sanguine solitæ, et in intestina transmitti retineantur, fieri non potest, quin multum mali inde in corpore gignatur. Necesse est ut morbi natura adhuc pro conjectura sit. Sed concedetur, nisi fallor, et opus est ad medendi consilia proponenda, ut judicetur, vitam organicam, si ingens sanguinis proportio, ex quacunque causa, ad concoctricia organa propellatur, non posse non opprimi, atque cor non amplius, ad superandum remoram sibi vicinam, valens, non posse cerebro solitum stimulum præbere; necnon, magnam sanguinis quantitatem ad abdominis organa transmissam, ex necessario, secretiones, tum quod ad qualitatem et quantitatem attinet, muta-

tas suppeditare, ex quo adhuc magis cordis actio infirmetur atque opprimatur, cerebri potestate, pari modo imminuta. Corporis temperatura nequit non affici, sive a sanguinis mutatione, in pulmonibus, pendet, sive potestate generis nervosi gignatur.

Ex justa sanguinis quantitate non transmissa ad cerebrum, spasmata musculorum voluntariorum, visus obscurus, surditas, coma atque mors ipsa oriri possunt. Oportet quidem arbitrari morbum poni in infarctione vasorum, in organis chylopoeticis; quam sequuntur mutatæ secretiones, temperatura corporis minor, circuitus sanguinis imminutus tandemque prorsus abolitus.

Quod ad causam attinet, quæ hanc morbosam concoctricium organorum conditionem affert, fateor non in me esse aliquid proponere: nolo in hanc descendere arenam, quum jam nemo medicorum hactenus aliquid ultra conjecturam proferre potuerit. Vidi hoc malum homines infestare, in sicca, æque ac in humida tempestate, in caloribus magnis, et in temporibus potius frigidis. Vidi etiam divites, pariter ac pauperes, cum eo conflictari; attamen homines, qui diæta parca, vestimentis parum idoneis utebantur, multo magis proclives erant.

Choleram, qualis hic depingitur, præcipue orientalibus terræ regionibus continere satis superque patet, ex dira atque continua strage, quam, in his, edit; credo tamen nullum poni posse terminum progressui ejus; et vidi Edinburgi, morbum choleræ Indicæ admodum similem, in milite 91^{mæ} cohortis, postquam nuper ad hanc urbem veneram. Totius corporis collapsus, spasmata, sitis importunissima, et materia vomitu rejecta iisdem symptomatis prorsus similia erant, quæ toties in India conspexi.

Hæc hydra lethifera non tantummodo recentioribus temporibus nota est. CURTIS (Chirurgus nauticus) qui de morbis Indiæ Orientalis disseruit, accuratam protulit historiam epidemicæ choleræ, quæ ad Trincomalee anno 1784 grassabatur, quo tempore, ut videtur, maxime pestifera erat, et per partem terræ continentis sese extendit, inter milites tunc bellum gerentes magnam faciens stragem.

DIAGNOSIS.

QUUM hic morbus prorsus sui generis sit, notas

semper sibi proprias ostendat; non opus est ut monstretur quomodo a cæteris dignoscatur.

PROGNOSIS.

Quoties pulsus ad carpum plenus erat atque digito resistebat, quoties materia ejecta bilis misturam ostendit, et cutis justum vel auctum calorem habebat, etiamsi oculus subsiderat, atque spasmata vexabant, periculum haud magnum vel nullum erat.

Siquando vero morbus a magna debilitate inciperat, pulsu; simul exiguo, calore imminuto, toto corpore collapso, atque magna jactatione comitante, prognosis maxime infelix erat, et raro non malum lethale.

NOTÆ SECTO CADAVERE DETECTÆ.

Non datur, secto post mortem corpore, comperire, quo sit proxima hujus diri mali causa. In morbosis actionibus ponitur, quarum, in morte, nulla relinquuntur vestigia, qualia vitæ jacturam

explicarent. In plerisque, multum sanguinis congestum, in venis, per thoracem atque abdomen, repertum est; in omni exemplo, magna sanguinis plenitudo in intestinis tenuioribus, cum reliquis corporis partibus comparata, quæ color coccineum ostenderunt, dum crassiora intestina pallebant, atque inflata erunt: fellis vesicula sæpe bileo piceo repleta erat, quæ non ad duodenum pervenerat, nam nullæ ejusdem notæ fere in intestinis detegebantur, etiamsi ductus satis pervii reperti erant: urinaria vesica plerumque vacua atque contracta erat; cerebrum interdum naturalem edebat aspectum; aliquando vero sanguine præter solitum scatebat, ita ut, a re tam incerta, nihil colligi possit. Sanguis in cunctis exemplis, sive a vivo corpore detractus, sive post mortem, in venis inspectus, prorsus a naturali conditione deflexisse videbatur, et similis, ut sæpe notatum est, ei conditioni vitalis humoris, quæ morsu Cobra di Capello aut aliorum serpentium inducitur, aut humori menstruo; niger, nempe aquosus, nec coagulabilis, atque, quantum ex aspectu judicare licet, prorsus ineptus ad vitam sustinendam.

CONSILIA MEDENDI.

MEDENDI consilia, sub omnibus mali formis, fere eadem sunt; ad reddendum sanguinis circuitum æquilibrium, ad sustinendum cordis atque arteriarum actionem, quamdiu stimulantia alicujus generis id præstare possent, atque ad promovendum naturales secretiones; quæ omnia, ut verisimile est, venæsectione, stimulantibus, balneo calido atque purgantibus implentur. Aliquis miretur sanguinis missionem præcipi in morbo, cujus maxime conspicua symptomata sunt circuitus sanguinis languor, infirmitas, atque summi corporis frigus. Hæc tamen symptomata, ab inæquali sanguinis distributione, atque ejusdem congestione in visceribus, pendent; neque dubitandum est ea citissime atque certissime submovenda esse, venæsectione atque cordis actionem stimulando, quibus vires sanguinis circuitus augentur atque aucta acquiritur potestas ad propellendum sanguinem, quæ in eo accumulatur versus summum corpus. Quum res ita se habent in corpore, venæsectio plane pro stimulanti est, et quoties sanguis elici potest, plus affertur levaminis, quam alio quovis

remedio, quod medicis notum est: dolendum est, in sævissima mali forma, in eo conditione in qua cor fere quiescit, atque corpus, ut in morte, friget, nullum sanguinem fluxurum etiam ab arteriis quæ secari ferro possunt, nihil posse calorem ad summum corpus revocare.

Curationis summa, quæ utilissima erat, dum in Ceilano degebam, ea est, atque in sequenti ordine: venæsectio, magna tincturæ opii quantitas, submurias hydrargyri protinus post morbi accessionem sumptus: tinctura opii guttæ octoginta cum muriatis hydrargyri granis viginti, sumptæ sunt. Post quod medicamentum, alcohol calidum dilutum; balneum usque ad gradum centesimum secundum calefactum; frictiones validæ ex linimentis alcoholicis adhibita sunt; quibus adjecta sunt nitratis potassæ deflagratio circa ægri lectum, ad oxygenium evolvendum; atque temperaturæ corporis elevatio ignibus circa accensis. Epispastica mihi videntur ambigua remedia; quum etiam late atque subito excitatæ sunt bullæ per aquam fervidam aut acidum nitricum, visa sunt parum late corpus afficere, ut usum inservirent ad quem imposita erant, nempe ut sanguinis revulsionem ad cutem creent.

Ad summum, cholera malum est visu fœdum, quando magis terribile misero qui cum eo conflictatur; sub curatione peritissima sæpe ab initio insanabilis: strages quas edit in ea infelici regione, in qua primus se monstravit, non hactenus terminantur:—utinam quidem hæc pulchra terrarum regio in perpetuum eundem ignoret.

"Dii prohibete minas—
Dii talem avertite casum."

FINIS.